

**Tentamen medicum inaugurale, quaedam de inflammatione complectens : quod, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit / Richardus Fowler, Anglus, Soc. Med. Reg. Edin. nuper Praeses. Soc. Spec. Edin. Praeses Annuus.**

### **Contributors**

Fowler, Richard, 1765-1863.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Glasguae, 1793.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qmxjjcgt>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

13

---

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
QUAEDAM DE INFLAMMATIONE  
COMPLECTENS.

---

J. P. Gaillard  
The author's very  
respectful Com<sup>ts</sup>



TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
QUAEDAM DE INFLAMMATIONE

COMPLECTENS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Præfetti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

RICHARDUS FOWLER,

ANGLUS,

Soc. Med. Reg. Edin. nuper Præses.

Soc. Spec. Edin. Præses Annuus.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCIH.

TRITAMEN MEDICUM  
IN AURIBUS  
QUAEDAM DE INFLAMMATIONE

CONTRACTA

AVVENTE TUMORE MENTIS

DE ALEXANDRO BENTLEY, M.D.

GEORGE W. BENTLEY, M.D.

ACADEMIAE MEDICAE PHILADELPHIAE

MEMORANDUM

AVVENTE TUMORE MENTIS

DE ALEXANDRO BENTLEY, M.D.

THE GRADUATE

OF THE UNIVERSITY OF PENNSYLVANIA

PHILADELPHIA

1850

RICHARD D. FOWLER

AVVENTE

DE ALEXANDRO BENTLEY, M.D.

PHILADELPHIA

AVVENTE

AVVENTE

AVVENTE

AVVENTE



---

GULIELMO CRUIKSHANK,

REI ANATOMICÆ PRÆLECTORI INSIGNI

OBSERVANTIÆ ET AMICITIÆ

HOC, QUAM LEVE TESTIMONIUM!

OFFERT

AUCTOR.

---

Digitized by the Internet Archive  
in 2016



# TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

## QUAEDAM DE INFLAMMATIONE

COMPLECTENS.

AUCTORE R. FOWLER.

**I**N hoc tentamine de primo solummodo Inflammationis stadio, in animo est quaedam proferre.

Inflammatiō adeste dicitur in parte aliquâ externâ corporis animalis, quando eadem præter solitum rubore, calore, dolore, et tumore afficitur; et eandem esse partis internae conditio-



nem suspicari licet ex calore, et dolore, plerumque acuto, et pulsatili, cuidam parti affixis, simul cum laesâ ejus functione, et sanguine missô jamque concreto, superficiem coriaceam albam ostendente.

Sed cum dolor imprimis mirum in modum nervos incitat, et per eos omnes denique partes sanguinem moventes, morbus primarius, et localis, brevi ad totum corpus plus minusve extenditur, prout inflammatio gravior urgeat, vel pars affecta nervis sit magis instructa.

Inflammationem instare certiores sumus, plerumque lenis et minime ingratae titillationis sensatione, quae brevi in pruritum molestum, et postea in dolorem pulsatilem ingravescit. Haec comitatur calor, qui prout alia symptomata processerint augetur donec intolerabiliter ardere sentitur; quanquam si thermometro exploratur, nunquam ejusdem animalis praecordia soventem calorem superare reperitur, ut docent  
experimenta



experimenta a viro in re physiologicâ peritissimo  
J. HUNTER instituta.

His symptomatibus, si superficiem corporis  
occupet inflammatio, semper adjicitur rubor,  
plus minusve profundus, et tumor tensus et e-  
levatus prout inflammatio magis faeviat, vel fi-  
nat partis structura. In glandibus igitur, et in  
telâ cellulosâ semper maximus evadit.

Quarundum partium, ut oculorum, aurium,  
cutis in genere, et penis, sensibilitas non adeo  
mutatur in statu inflammato, ac mirum in mo-  
dum intenditur: Aliarum autem, ut organo-  
rum olfactui, et gustui inservientium, prorsus  
aboleri videtur.

Morbus generalis ex inflammatione partis  
cujusdam oriens, pro febre synocha a quibus-  
dam habetur, ab aliis autem a febre multum  
discrepare existimatur; in eo, quod neque cau-  
sas, neque symptomata omnia, neque cursum,  
neque



neque terminationem eandem agnoscere videtur. Certum tamen est, morbum generalem exanthemata, et inflammationes pleraque internas praegredientem, et comitantem verè febrilem esse.

### POTESTATES NOCENTES.

MIHI videtur omnes causas, quae ad inflammationem producendam unquam conferunt, aut eas esse, quae talem conditionem partis alicujus corporis inducant, ut facilius affuetis stimulis afficiatur; aut eas, quae vel numerum vel vim stimulorum in eandem agentium, augeant. Sic frigus,—five subitaneum et intensum,—five diutius applicatum, quanquam minus intensum, tonsillas, membranam nares, et fauces vestientem, tracheam, pulmones, et extremitates corporis, (partes caelo externo maximè objectas), adeo ad inflammationem proclives reddit, ut extemplo inducatur gradu caloris naturalem corporis



corporis minime exaequante, sed subito admoto: Vel etiam impetu sanguinis ipsius, praesertim si paulo incitator fuerit.—Prioris exempla praebent frigore adusti: Posterioris ii, qui in conclavibus nimis calidis, aut in spectaculis magna frequentia stipatis diutius commorati, sese subito, et sub noctem caelo inclementi exponunt. Quâ ratione talem effectum praebat frigus penitus ignoro.—Constat tamen ex quotidianâ observatione calorem immodicum languorem, et torporem inducere; et ad omnes suscipiendas impressiones corpus reddere minus idoneum\*. Constat porro experimentis a meipso institutis, calorem animalis ad duplum auctum, vim musculorum contractilem brevi delere: Intentissimum autem frigus eandem ne minime quidem imminuere.

Juvenes, ut maximè sentientes et irritabiles, magis quam aetate proveciores inflammationibus

\* Greg. Consp. vol. ii. p. 227.



bus obnoxii sunt.—Inter causas quae partem aliquam nimis stimulando, inflammationem excitant, enumerare possumus omnes eas, quae ullo modo genus nervosum, five mechanicè, five chemicè, five pathemata quaedam movendo, valent incitare. Sic levem inflammationem vocari potest sanguineus iste furor, qui se in oculis irati manifestat : Et erysipelatem a pathematibus quibusdam aliquando excitari neminem latere potest.

## DE INTIMA PARTIS INFLAMMATÆ CONDITIONE.

PRIMO quanquam intuitu, sedem in arteriis habere inflammatio videtur, tamen haud alienum fore a nostro proposito existimavi, rem clarius elucidare sequenti experimento.

Inflammatione primum frictione excitatâ in extremitatibus posterioribus duarum ranarum adultarum,



dultarum, in utrifque arteriam cruralem unius lateris ligavi; alterius nervum fciaticum forfice divifi. Ambas operationes trunco corporis quam proximè inftituebam. Inflammatio brevi fubfidebat in iis pedibus, in quibus circulatio, a ligaturâ intercepta fuiſſet; ſed multos dies perſiſtit in iis, quorum nervi fuerunt divifi.

Conſtat etiam experimentis a celeberrimo MONRO inſtitutis, inflammationem in cruribus ranarum excitatam nequaquam tolli, nervorum ſciaticorum diviſione; ſed eam diu manere, et etiam ad offis fracti conglutinationem ſufficere.

Probatur quoque conſenſu omnium qui ſimilia experimenta tentaverunt, ſenſum partis aliqujus imminui ſeu potius aboleri, ſanguinis arteriarum interceptione. Aucta igitur ſenſibilitas partis inflammatae, pro effectu plerumque, potius quam pro cauſâ inflammationis habenda eſt: Sed quae ſit conditio arteriarum in hoc morbo  
investigare



investigare necesse erit, antequam ejusdem effectuum explicationem aggrediamur.

Inter varias, de inflammationis proximâ causâ, opiniones duae tantum mihi videntur observatione phenomenorum suffultae: Ea nempe, quae docet arterias inflammatas, quam in statu sano, debiliores esse; et ea, contra, quâ aucto earum actionis vigori, omnia symptomata referruntur.

Prioris sententiae fautores contendunt solum indicium toni, seu vigoris musculi alicujus, contractionem esse: Et contractionis esse, cavi musculi, ut arteriae lumen ejus, seu aream diminueret. Lumen autem arteriae inflammatae, non solum non esse imminutum, sed e contra mag-nopere dilitatum. Arteriae enim quae in statu sano sanguinem admittere nequeunt, et omnino pallent, inflammatae rubent, et sanguine turgidae fiunt.



Hi quibus altera opinio maxime placet contendunt, auctam actionem arteriarum partis inflammatae demonstrari, calore immodico, (qui nunquam nisi ex cursu sanguinis incitatori nascitur), sed praecipuè a sensu pulsationis in parte; quo certe indicatur differentiam contractions inter et dilatationes arteriarum, (ex qua pulsus percipitur), majorem esse in inflammatis quam in sanis arteriis.

Phenomena haud pauca mihi persuadent auctam molem sanguinis parietes arteriarum distendentem nequaquam convenire cum immutatione vis contractilis tunicae earum muscularis, salva adhuc tunica elastica. Multorum virorum experimentis, sed iis praecipuè a viro omni fide digno GUALTH. VERSCHUIR, institutis, (et, in Dissertatione ejus Inaugurali, anno 1766 Groningae editis), demonstratur arterias praeditas esse tunicâ musculari, quae vim verè contractilem seu irritabilem possidet, ad sanguinem propellandum summopere valentem. Tunica



ca cellulosa contra, five elastica arteriarum, minime ad motum sanguinis promovendum, sed potius impediendum idonea videtur.——Parietes namque arteriarum ad axim suam semper nitens approximare, (ut in cadavere videre \* est), neque cum relaxatione alternans, ut tunica muscularis, non potest non adversari momento sanguinis, actione cordis et tunicae muscularis, a tergo impresso. Quid igitur eveniret si vis muscularis arteriarum omnino esset deleta? illaefâ vi suâ elasticâ. Nonne progressus sanguinis, vel etiam introitus ejus in istas arterias penitus impediretur? Si enim posita vis cordis, et tunicae muscularis arteriarum requiratur, ad sanguinem

\* Nequaquam licet suspicari imminutionem areae arteriarum in cadaveribus, ultimae, et spasticae contractioni, tunicae earundem muscularis, deberi; quoniam constat ex experimentis clariss. VERSCHUIR supra citatis, talem contractionem, irritatione quâvis facile inductam, post mortem animalis nunquam fuisse superstitem.



sanguinem promovendum, et vim resilientem tunicae elasticae superandam, nihil evidentius esse potest, quam, si haec vis propellens imminuta esset, sanguinem in has arterias difficiliter impulsurum iri. Vacuae igitur, potius quam infartae, devenirent. Fluidorum namque vi externa compressorum est, qua data porta ruere; id est, ubi minor resistentia existit. At sanguinis cursui minus resistitur ubi vis sanguinem movens valentior pro ratione obstructionis est. Sic revera et pulsus et calor deficientes reperiuntur in brachio paralyti affecto; quanquam vis et cordis, et arteriarum, in aliis partibus corporis satis viget restat. A doct. NUCK \* porro observatur glandularum secretiones multo minus copiosas vel etiam nullas evadere nervis suis divisis vel compressis.

Historia summi momenti in hoc argumento  
memoriae

\* Adenograph. Curios. p. 16.



memoriae traditur a viro, medicis nunquam non venerando, Doctore WHYTT \*.

Puer annos ad quatuor vel quinque natus apoplexiâ corripiebatur. Die sequente, manè, pulsus pleniores et frequentiores reperiebantur, et oculi solito splendore caruere. Vespere ejusdem diei, oculi magis hebetes videbantur; et tandem offuscati et flaccidi evadebant. Injuria anteriori cerebri parti, et nervis, qui oculos adeunt illata, (sanguinis fortasse extravasatione), adeo vasa corneam irrorantia et humorem aqueum fecernentia, debilitaverat, ut ad munera sua non amplius valerent.

Nemo sanus negabit arterias, tonsillarum in cynanche maligna; artuum in rheumatismo chronico; scroti in hydrocele; urethrae post gonorrhœam, multo debiliores esse, quam in cynanche

\* Physiolog. Essays, p. 46.



che inflammatoriâ ; in rheumatismo acuto, in inflammatione testiculorum ; vel denique ineunte gonorrhœâ : Non tamen in illis, sed in his exemplis tumor et maximus reperitur, et vasa sanguine turgidiora. Tantum revera abest quin inflammatio ex debilitate proveniat, ut haec ipsa inflammatio saepe est debilitatis medela. Sic sese rem revera habere, curâ partis paralyti affectae, hydroceles, &c. confirmatur. Eruditus Dominus RUSSEL, in praelectionibus clinicis suis chirurgicis, exemplum citat hominis hydrocele laborantis, qui fortè fortunâ gravem experiebatur testium contusionem, quem inflammatio, et hydroceles cura excipiebant. Experimenta celeberrima. J. HUNTER docuit, quod, ubi extremitates ossis fracti (a debilitate partis puta) coalescere recusant, cautus earum inter se affricus inflammationem indeque callum producat.

Vasa in quibus levis inflammatio, ab incisione ad inferendas variolas factâ, excitata fuerit, sunt,



sunt, ex una dictarum hypothesium, in statu debilitatis. Aucta igitur, ab accessione febris morbillosae, vis a tergo, secundum eandem hypothesin, copiosius flumen sanguinis in eas propellere deberet, sicque inflammationem adaugere. Nihil autem tale evenit. Extant namque exempla in quibus inflammatio variolosa omnino sistebatur quamdiu aeger morbillis laborabat.

Praeterea si nihil amplius ad inflammationem producendam requireretur nisi aucta vis a tergo, sanguinem in arterias, quarum vis muscularis imminuta fuerit, projiciens, pustulae morbillosae et variolosae minimè in pectore, facie et partibus, centro circulationis quam proximis, primum erumperent, sed potius in extremitatibus corporis et partibus debilioribus.

Facile autem omnia phenomena inflammationis explicat, et eorum rationem sufficientem reddit hypothesis, quae aucto vigori arteriarum loci inflammati eandem solet referre. Haud certe



certe difficile intellectu est quâ ratione vasa majori vi et frequentia contrahentia praeter modum rubeant, et sanguine turgidiora appareant. Arteriae namque uniuscujusque, contractiones et dilatationes successivae sunt, et alternae; a corde ad extremitates suas minutissimas usque progredientes. Distentio igitur cujuslibet partis arteriae, non potest non esse ratione contractionis partium vicinarum ejusdem; i. e. (ut magis sit in aperto argumentum), quo magis in partibus contractis arteriae, parietes ad axim suam approximent, eo magis, in partibus dilatatis, ab eadem distabunt. Major namque, aut minor portio sanguinis projicietur in partes dilatatas arteriae prout major, minorve portio fit, quae e partibus contractis extrudatur. Sic se rem revera habere luculenter et pulcherrimè demonstratur experimentis accuratissimi VERSCHUIR. Quae sequuntur ab experimento ejus octavo seligi.

Arteria in femore canis nudata et irritata, in  
contractionem



contractionem aliquoties ciebatur. In altero latere eadem arteria per totum suum decursum denudata et vexata, dura, parva, et contracta deveniebat. Irritatione autem per aliquod tempus intermissa, non adeo contractae arteriae demum videbantur, sed ictus earum liberiores et fortiores evadebant. Dum abdominis vasa eodem in cane perquirebat vir doctissimus,—“ Oculos  
 “ statim ad se rapiebat arteria, (quae erat emul-  
 “ gens \* sinistra), miro quodam agendi et vibran-  
 “ di modo agitabatur, omnino celeritate et con-  
 “ tractionum vehementia a reliquis pulsantibus  
 “ arteriis diversa. Liberavit arteriam illam vi-  
 “ brantem a circumjecta cellulosa; penitus jam  
 “ soluta, perstabat haecenus vehemens ille mo-  
 “ tus:

\* Quum secretio a sanguine multo copiosior praebetur ab emulgentibus, quam ab ullis aliis arteriis, nonne verisimile est, eas, quam alias, majori vi, et frequentia semper agere? Certum namque est caeteras secretiones, aucta actione arteriarum fecernentium semper augeri; ut in vasis oculi, in glandibus salivariis, et in testiculis praeipue videre est.



“tus: Scalpello autem irritatâ leniter radendo,  
“et fcalpendo, inde videbatur sese duobus in lo-  
“cis violentissimè contrahere. Locus vero inter-  
“medius ad insignem valde magnitudinem dis-  
“tensus erat, diametro ad minimum duplo am-  
“pliori. Per aliquot minuta hoc phenomenon  
“ita perduravit.”——“Post mortem canis, et  
“strictura et dilatatio evanuebant, ita ut vix ea-  
“rum vestigium supereffet.”

Ne autem in argumento tam gravi aliorum  
experimentis et observationibus nimis inniti vi-  
derer, aut ratiocinationibus utcunque speciosis  
memet deciperem, sequentia experimenta insti-  
tuebam.

Auriculis externis vivi cuniculi ad cutem  
tonsis, et probe lotis, omnes earum venae et ar-  
teriae in conspectum veniebant. Irritatâ levi  
frictione unâ ex auriculis, vasa sua extemplo  
turgescabant, et quasi felicissimè injecta appa-  
rebant. In alterâ, nullâ frictione adhibitâ,



nulla inflammatio excitabatur. Brevi hic aestus circulationis subsidebat, et vasa ad statum naturalem redibant. Similis alternatio decies, imo frequentius in horae quadrante iterari potest.

In auriculâ inflammatâ ictus arteriae validi et frequentes digitum explorantis feriebant: Dum in alterâ auriculâ, sicut in hac, quamdiu in statu naturali manebat, pulsus aegrè percipiebatur.

Hoc experimento clarè demonstratur,

*Imo*, Vim contractilem arteriarum minimè exhaustam fuisse frictione, ut nonnulli volunt: Nam si fuisset, omnino improbabile est, eandem (admoto iterum stimulo) tam cito, et frequenter potuisse redintegrari\*.

2do,

\* Adeo non est irritabilitas tunicae muscularis arteriae inflammatae imminuta, ut aliquando non nisi in arteriâ ab inflammatione prius correptâ sese manifestat.

“ Tunicâ



2do, Vasa auriculae irritatae, non cordis actione, a terrore aut dolore animalis incitata, turgida facta fuisse, sed propria aucta actione: Nam si aliter fuisset vasa in altera auricula aequè turgida evadissent.

Cutem auriculae ejusdem cuniculi secui rectâ lineâ, cursum arteriae comitante, eique quam proximè. Arteria per totum cursum tam fortiter sese contraxit, ut area ejus prorsus obliteraretur. Sanguine in eandem post aliquod tempus iterum recepto, arteria in aliis locis ut antea contracta, in aliis autem, et contractionibus intermediis valde distenta, visa fuit. Spasticis contractionibus tum demum relaxatis, magna

“ Tunicâ externâ arteriae femoralis magni adultique canis  
“ excisâ, et muscolari ferro irritatâ, nulla sequebatur contrac-  
“ tio; sed brevi mora, inflammatione jam arteriae tunicae  
“ accensâ, unaquaeque irritatio pulsus crebriores, iis undante  
“ motu interposito excitavit.”

DENNISON, Dissertat. Med. Inaugur.



na vi et copia sanguinem promovebat, et per ramum ejus minutum divisum foras projiciebat. Sanguine, aquâ frigidâ admotâ, tandem represso, omnis cutis incisa, post horam et dimidiam, in tumorem supra arteriam se extendentem elevata fuit, ita ut cursum arteriae ferè celaret. Secatâ iterum cute telam cellulofam arteriam circumdantem humore limpidò oppletam inveni, et cellularum partitiones vasculis rubris sca- tentes. Cutem sic fluido effuso ab arteriâ penè separatam, ope scalpelli facile summovi, et arteriam per longum tractum prorsus nudavi. Arteria ut antea primo se tota contraxit, ita ut sanguinem penitus excluderet; deinde autem eidem viam iterum praebebat; et validis frequentibusque contractionibus cursum ejus promovebat. Arteriae nunc saturatam opii solutionem aquosam ope penicilli admovi, et eandem madentem curabam per diem et dimidium, ut vim contractilem tunicae ejus muscularis quam maximè dekerem. Primò, arteria se magis contraxit, postea autem paulo dilatatio-  
apparebat,



apparebat, et tandem omnino exfanguis evadebat. Irritatâ capiti quam proximè auriculâ, sanguis iterum in arteriam propellebatur, quam perfluere videbatur quasi per canalem nullâ vi vitali peditum : Intermisâ irritatione, brevi evanescebat.

Ne autem suspicaretur (quanquam solutione nunquam non madidam) aëri expositam, praeter modum corrugatam fuisse, et sic ad dilatationem minus aptam evadisse, arteriae in sequentibus experimentis, cute eandem obtegente adhuc integrâ, solutionem applicavi.

In auriculis igitur, sex aliorum cuniculorum, postquam, incisione tractum arteriae comitante, et ab ea non nisi paululum distante, cutem divideram, quo melius effectus suos in arteriam solutio opii edderet, parti solutionem illiniebam. Gravis statim inflammatio excitabatur, quae tamen brevi subsidebat, neque in his omnibus exemplis, minimum tumoris vestigium reliquit.

Tres



Tres auricularum in quibus experimentum instituebatur paralyfi corripiebantur; omnes vero exsangues evadebant.

Ateriae nequaquam corrugatae, aut chemicè contractae fuerunt; nam levis irritatio ad unam auriculam facta, extemplo eas sanguine implebat; brevi tamen (irritatione intermissâ) evafuro.

Ex his experimentis igitur lucidè constare videtur,

*1mo*, Vim contractilem arteriarum minime consumi levioribus illis stimulis quae ruborem, et calorem partis alicujus excitant; quoniam stimulus longè potentior, nempe incisio in cute, arteriae quam proxima, ad hunc effectum non valebat.

*2do*, Distentionem partis alicujus arteriae non ex debilitate tunicae ejusdem muscularis provenire,



nire, (quoniam quo magis debilitata eo minus distenta fuit arteria): Sed ex contractionum vigore, et frequentia.

Ex auctâ igitur arteriarum actione, pars aliqua magis rubet, quia diameter earum in quibusdam locis multum augetur: Sanguis ruber nunc adigitur in extremitates suas minutissimas introitum ejus in statu naturali recusantes, et non nisi serum aut humorem saltem limpidum vehentes: Rubet etiam fortasse, quia plus sanguinis in venas propellitur, quam ab iis facile potest reduci; actione earum non pari ratione, ac arteriarum adauctâ. Valde porro probabile videtur ruborem magnâ saltem ex parte deberi, vasis lymphaticis sanguine jam turgidis\*. Ex

his

\* “ In peritonal inflammation, I have demonstrated the  
“ lacteals full of blood, though in this inflammation there  
“ is little or no swelling; of course, no extravasation of  
“ blood into the cellular membrane. I have seen the ab-

“ sorbents



his quoque causis pars nonnihil tumet ; praecipue vero ex lymphâ in telam cellulosam impulsâ, seu potius secretâ. Calet praeter modum, quia (ut omnia, quae exhibet animal, phenomena demonstrant) caloris evolutio fere semper in ratione est arteriarum actionis.

Paulo difficilius esse videtur rationem reddere doloris per totum morbi cursum perstantis. Stimulorum namque omnium est partis in quem agunt sensibilitatem imminuere. Sequens ratio phenomeni mihi probabilior videtur. Conditio nervorum cui sensum debent, citius, auctâ arteriarum actione renovatur, quam a stimulo distentionis partium vicinarum infringi aut obtundi potest. Neminem latet amicus qui arteriosum et nervosum systema invicem jungit nexus.

#### INFLAMMATIONIS

“ sorbents of the lungs also loaded with blood in the peripneumony or inflammation of their substance.”

CRUICKSHANK, Anat. of the Absorbing Vessels of the Human Body. P. 49.



## INFLAMMATIONIS CURATIO.

INFLAMMATIONI medetur vel potestates nocentes amovendo, vel effectibus earum occurrendo, vel denique partis in quam agunt sensibilitatem et irritabilitatem obtundendo et minuendo. Hinc omnia, tam interna, quam externa quae parti inflammatae irritationi esse possunt, diligenter summovenda. Ossa luxata in loca sua restituenda; motus maximâ curâ evitandus; sanguis, e vasis partis inflammatae vicinoribus, detrahendus; calor, aquae frigidissimae, vel etiam congelatae applicatione deducendus. Aucta secretio, vel partis ipsius inflammatae, vel, certis in casibus, partium vicinarum, humorum volumen, vasa mechanicè distendens, minuendo, inflammationem certè levat, aliquando etiam omnino tollit. Sic inflammatio, quae, post coitum impurum, glandem penis, et urethram invadit, gonorrhoeamque instare admonet, pure fluente fere semper subleva-



tur; secretionem, contra, puris repressâ, gravis saepissimè oritur testiculorum inflammatio, cui etiam reditus secretionis optatissimum et efficacissimum remedium. Sic etiam inflammatio pulmonum, tracheae, tonsillarum, et membranae narium, quasi sponte saepe resolvitur, quando auctior muci, salivae, aut halitus, ex arteriis exhalantibus, vel glandulis, secretio supervenerit. Huic potissimum consilio insistentes aquam calidam, vel melius fortasse aquae vaporem partibus inflammatis admovemus; et haud raro felici eventum. In meipso, tonsillarum gravem inflammationem, et deglutitionem fere impediens, brevi saepenumero resolvi, secretionem salivae copiosam ciendo, stimulo aliquo subacido orificiis ductuum salivariarum admoto.

Difficilimum sane esset justam et sufficientem reddere rationem, modi, quo vesicatoria, parti externae cuivis admota, valeant adversus inflammationem partis internae, et illae quam proximè sitae. Sed haud improbabile videtur hunc effectum



effectum ex parte saltem deberi secretioni copiosae, non solum partis, in quam directè agunt, sed partis quoque inflammatae, quam vesicatoria ut primum agere inciperint, excitant.

Exempla mihi haud pauca innotescunt, ubi profusa lachrymatio, quae vesicatoriorum palpebris applicationem insequebatur, omnia symptomata ophthalmiae brevi levabat; etiam in iis, quos inflammatio lumine prope orbaverat.

Catarrho laborans, vesicatorium, a sterno ad os hyoidem usque extendens, super laryngem applicui, et quam primum effectus suos in cutem edere inceperat, secretio glandularum vias aëreas humectantium adeo augebatur, ut, nisi saepius excreassem, respiratio fuisset prorsus impedita.

Inter remedia, quae sensibilitatem morbosam obtundendo, et vasorum auctam actionem compescendo inflammationem reprimunt, imprimis

recen-



recensenda sunt opium, aether vitriolicus, spiritus camphoratus, cerussa acetata, zincum vitriolatum, acetum, et aura electrica.

Opium, five per os devoratum, five parti affectae applicatum, felicissimos in plerisque inflammationibus praestat effectus. HUXHAM robusto cuidam pletherico, pleuritide laboranti cum dolore in pectore acutissimo, dyspneâ, delirio, et tussi continuâ, opii gr. vii. et syrup. diacord. ℥ii. vel iii. intra horas viginti quatuor, optimo cum successu administravit. Simili prorsus consilio viri merito celeberrimi STORK et DE HAEN hoc remedio saepe utebantur. Et ab omnibus ferè medicinam facientibus liberâ propinatur manu, post graviores chirurgicas operationes; necnon inflammatione mammarum et testiculorum, &c. laborantibus feliciter exhibetur. Opium vino solutum, et infra palpebras instillatum, quanquam excrucians, longe tamen efficacissimum remedium in opthalmiâ comperi, praefertim si una cum vesicatoriis palpebris admotis admini-



administretur.—Virgo 19 annorum nata, per octo menses, inflammatione utriusque oculi tam violentâ laborabat, ut visu prorsus orbata fuerit. Nullatenus disparuit inflammatio scarificatione, venaesectione, sanguisugis, saturninis cataplasmatibus, regimine antiphlogistico, &c. adhibitis. Repetita vero vesicatoriorum applicatio, ita ut oculos circumdarent; et paucarum tincturae opii guttarum infra palpebras instillatio; necnon linteorum solutione cerussae acitatae madefactorum applicatio, (ad dolorem, a tincturâ opii excitatum minuendum), inflammationem ferè omnem brevi fugaverunt, eo usque saltem ut dolor omnino remiserat, et aegra visum recuperaverit intra duarum hebdomadarum spatium. Aderat quoque offuscatio seu opacitas corneae utriusque, quae pariter vesicatoriis, et opii tincturae cedebat. Aura electrica quoque similes nunquam praestat effectus.

Vidi etiam saepius bubones venereos, et incipientes, et ad talem conditionem profectos, ut  
neque



neque secessuri neque in suppurationem evasuri viderentur, brevi discussos, scintillis electricis per semihoram quotidie ex parte elicitis. Minime necesse est ut nunc dierum cerussae acetatae, vel zinci vitriolati virtutes laudarem. Erysipelati, pernioni, et paronychiae, spiritu camphorato felicissime medetur; et omnibus satis notum est, acetum optimum esse remedium in vulneribus ex ustione factis.

Duae historiae scrotalis herniae mihi innotescunt, in quibus, aether vitriolicus (post omnia vulgo adhibita remedia frustra tentata, et cum ad operationem confugere necesse visum fuit) super scrotum et pubem profusè aspersus, gravissimam inflammationem brevi fugavit, corrugationem quandam procreavit, et adjunctâ levi pressione in semihorae spatio, hernia optime reducta fuit. Utraque amico meo F. HUGHES occurrit; et prioris narratio in doct. DUNCANI commentariis reperienda est.



Experimentis a multis praeclaris viris, sed praecipuè a viro in re physiologicâ apprime versato, Prof. nostro MONRO institutis, perquam clarè demonstratur, opium, aethera, spiritum vini, five merum five aqua dilutum, dotibus tam nervorum quam muscutorum esse exitio. Eodem pollere effectû plumbum, quocunque modo praeparatum, docet paralyfis colicam pictonum comitans, aut certe sequens. Valde igitur probabile mihi videtur haec remedia duplici ratione adversus inflammationem valere : Sensibilitatem nempe morbosam obtundendo, et vim illam nervorum quâ in arterias agunt, et contractiones earum intendunt cohibendo ; et ipsarum arteriarum tunicae muscularis irritabilitatem minuendo, talemque ei conditionem inducendo, ut actioni nervorum, sanguinis, aut alius cujuslibet stimuli in eandem agentis, minus evadat obnoxia.

Intellectu certe non difficile est quâ ratione quies inflammationis curatio faveat. At summi



mi praeterea momenti est positio, horizonti ad libellam respondens. Experimenta enim saepius repitita me docuerunt, illam arteriarum ictus multum tardare, quod quidem pro ratione corporis proceritatis variat. In memetipso observavi hâc positione pulsum frequentiam a 76 ad 60 diminui: In procerioris staturae hominibus differentiam multo majorem inveni.

Nonne liceret eodem consilio digitalem purpuream inflammatione praecipuè cerebri, pulmonum, et renum laborantibus administrare? Doctore FERRIAR testante, optimo successu in haemoragiis activis exhibetur.

F I N I S.